AUTHOR:

[VAHLEN, JOHANNES]

TITLE:

[EMENDATIONES LIVIANAE]

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1876]

Master Negative #

93-81640-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

[Vahlen, Johannes, 1830-1911.
[Emendationes Livianae] Berolini, Formis academicis, [1876]
11 p. 25 cm.

On title-page: Index lectionvm qvae... in Vniversitate litteraria Friderica Gvilelma per semestre hibernvm a. d. XVI. m. octobris a. MDCCCLXXVI vsqve ad d. XVII. m. martii a. MDCCCLXXVII habebvntvr.

Data from Engelmann's Bibliotheca scriptorum classicorum.

56358

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/6/93 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX
LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXVI
VSQVE AD D. XVII. M. MARTII A. MDCCCLXXVII

HABEBVNTVR.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Cum prooemiandi materiam circumspiceremus, qua commode praefari indicibus lectionum academicarum per proximam hiemem habendarum possemus, in memoriam rediimus olim a nobis studiosius tractatae T. Livii annalium partis eius quam unicis membranis vetustissimis Laurishamensibus quondam nunc Vindobonensibus acceptam referimus. Admonebat etiam libellus tum maxime ad nos perlatus, quo disciplinae Vindobonensis alumnus orsus a codicis subscriptione eius libri historiam pertexere exactaque accurate scriptionis specie et natura orationis Livianae emendationem adiuvare pro virili parte aggrediebatur*). Cuius docti iuvenis ut studium utiliter collocatum laudabamus indefessamque in rebus minutissimis diligentiam admirabamur, ita locis ipsis quibus mederi cupiit paulo intentius exploratis, ex his disquisitionibus graphicis, saepe fallacibus nisi ratione regantur, emendationi quidem non ita multum utilitatis accrevisse nobis visum est. Atque omnino ita sentimus, etsi hoc genus omne, scriptione quod continetur cuique doctissimorum quorundam cura hodie insignior dicata est, non impune nec sine detrimento artis sperni a criticis apparet, tamen cavendum esse ne rimandis litterarum apicibus errorumque viis indagandis occupati sensum sermonis veteris hebescere patiamur librariorumque dum causam agimus ingenio scriptorum iniuriam faciamus. Quod non carpendi aut laboriosi operis laudibus detrectandi causa ponimus, sed admonendi, si qui forte gnavi adulescentes in simili argumento elaborare velint: neque eam nunc sententiam exemplis aut ex illo libello petitis aut ex aliis declarare animus est, sed malumus periclitari ipsi, si quid ad stabiliendum aut corrigendum horum librorum locum unum atque alterum utiliter conferre contigerit. Nam cum eorum emendationem Madvigius praeclare fundaverit et auxerit, et post Madvigium Hertzius, Weissenbornius non leviter provexerint, tamen restant nonnulla etiam praeter desperata codicis vitio quae criticam

*) De codice Liviano vetustissimo Vindobonensi. Scripsit Michael Gitlbauer Can. reg. ad S. Floriani. Vindobonae MDCCCLXXVI.

opem expectant neque spem omnem successus praecidunt, alia quae satis firmata videbantur rursus ut fit in dubitationem vocata sunt diiudicandam aliquando, et contingit nonnumquam circa singula loca undique pensitandà versanti indagare quae editorem multis simul curis et cogitationibus in prolixo praesertim opere distentum ac paene oppressum fugerint. Id quod non ita intelligi volumus quasi nostra talia esse sentiamus, quae nec multa sunt nec gravia nec dubitatione omnia exempta, sed ut, discussa vana opinione eorum si qui tamquam opere perfecto iam nihil restare opinantur nisi ut compressis manibus admirabundi assideamus, ad hanc rem strenue et circumspecte agendam quibus ars critica cordi est adhortemur si qui poterimus et incitemus.

Sed aggredimur ad propositum. Nondum persanata putamus verba, quibus Perseus rex Macedonum suam ipse defensionem agens in colloquio cum Marcio Philippo habito utitur XLII, 41, 2. *Eorum autem*, inquit, *quae obiecta sunt mihi, partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam*, partim *quae fateri* non *erubescam, partim quae verbo obiecta verbo negare satis sit.* Sic enim haec inde a Grynaeo vulgantur, at in codice nec *non* legitur et pro *partim* altero scribitur *ea*, quod etsi corruptum, ex *partim* corruptum esse nemo credet, cum praesertim ea reposita voce maneat addendae insuper negationis necessitas. Quare ne Weissenbornium quidem probamus, qui in nova librorum XLI et XLII editione, quae dum haec scribimus affertur, simul et *non* particulam adiecit et *partim* ante *ea* inseruit. Nos ipsam hanc codicis scripturam leniter inflectemus ita ut in una subsistentes mutatione et illi testimonio satisfaciamus et necessariam sententiae negationem nanciscamur: scribimus enim *partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam* neq· *quae fateri erubescam*, *partim quae verbo obiecta verbo negare satis sit.* Ita cum bipertita ex trimembri oratio efficiatur, et ea re consulitur sententiae, quoniam illa duo suapte natura artiore vinculo iugata instar unius sunt, cui ex altera parte respondent ea quae verbo obiecta verbo negare *satis sit.* Nam ut hoc addamus, *satis* quod in codice desideratur, recte et necessario esse adiectum censemus miramurque Weissenbornium in eo repudiando additamento perseverare; qui quod inter exempla, quibus Livio locutionem *est negare* vindicare studuit, nunc quoque Lucretii II, 16 et Catonis de re rustica principium rettulit, fefellerunt interpretis diligentiam ea quae de iisdem Lachmannus ad Lucretii II, 16 et V, 533 edocuit, sed ne reliqua quidem quibus utitur exempla, Vergilii, Horatii, Tibulli, plus probant quam quo probato vix opus erat, licuisse hac aetate poetis *est* cum infinitivo iunctum in vim verbi *licet* usurpare, idem genus dicendi Livio placuisse, id vero non probant, neque ut placuerit, hoc ipsum *liceat negare* concedendum est appositum esse in hac sententia quae unice requirit *verbo obiecta verbo negare satis sit.*

Sed ea oratio cum in manibus sit, perpendemus brevi unum praeterea locum non ut emendemus sed ut fortasse vindicemus a crimine usumque dicendi

Livii declaremus. Narrat enim progrediente oratione Perseus 42, 1 *At cum processissem inde ad visendas Larisam et Antronas et Pteleon*, qua in propinquo Delphi (*delphis* codex), *sacrificandi causa*, ut (*ut* addidit Madvigius) *multo ante debita vota persolverem*, Delphos *escendi.* Quae cum praeter leviores quas sustulimus mendas integra esse arbitremur sic ut in codice scribuntur — nam ne haec quidem *qua in propinquo Delphi*, h. e. in qua sive quarum urbium propinquitate Delphi, satis causae est cur destituantur — non disceptabimus corrigendi viam quam Grynaeus aut probabilius certe Madvigius inierunt, illud unum quaerimus, verene Livio non licuerit, significatis ante Delphis postea in eadem sententia cum pronomine uti (*eo escendi*) aut omisso pronomine mero defungi verbo (*escendi*) posset, rursus idem ponere Delphorum nomen: id enim Madvigius negavit fieri posse sine vitio orationis correxitque eam ob causam et hunc locum et alios plures. Quod iudicium viri eximii verumne an falsum sit non potest nisi exemplis evinci, sed exemplis ad hanc causam relatis; nam indigesta moles a Drakenborchio ad I, 3 exposita etsi universe Livii socordiam declarat, tamen indiscretis generibus ad fidem faciendam de singulis parum est accommodata. Sic nunc non agitur de vulgata repetitae in eodem orationis circuitu vocis incuria, quam ne a Livii quidem stilo alienam esse constat, sed certum conformandarum sententiarum genus tangi apparet, illud, quo pronominibus ipsorum nominum usum non ob vim quandam rhetoricam sed in simplici narratione praeferri videatur. Eius autem rei haec sunto Livii ex variis libris deprompta exempla.

cum cognitum esset consulem Cumis esse, naves Cumas appulsae captivique ad consulem deducti

Scipio, castris prope urbem positis, priusquam circumvallaret urbem, misit ad portas qui ex propinquo animos tentarent

nuntiis ad Philippum missis quanto res in discrimine esset, omittere Philippum id quod in manibus erat coegerunt bellum

cum Argis Achaeorum concilium esse audisset, inopinantibus Achaeis contioni ipsi supervenit

Eudamum Samum redire ad Romanos iusserunt, ut quantum consilio, quantum auctoritate valeret, compelleret Romanos ad Patara oppugnanda

cum Mopsiani urbem excessissent, sine certamine tradita urbs Poeno praesidiumque acceptum est

censuerunt frequentes, quoniam Flaccum auctoritas patrum nihil movisset, ad populum cum Flacco agendum

C. Memmio collegae in Siciliam scriberet ut eas quae in Sicilia naves essent reficeret atque expediret

postquam apparuit vi agendum, quia videbatur et Limnaeum eodem tempore oppugnari posse, regem ad Limnaeum ire placuit; Baebius restitit

ad Pellinaeum oppugnandum (nam vel hic a repetito *Limnaei* nomine abstineri potuisse, exemplo probatur quale hoc est XLII, 26, 6 *Ex Asia redierunt legati qui renuntiarunt, Eumenen in ea, Antiochum in Syria, Ptolemaeum Alexandriae sese convenisse*, ubi iniuria de pronomine dubitatur; conf. XLV, 26, 1)

lectum quoque senatus consultum priusquam securi feriret, quidam auctores sunt, sed quia adscriptum in senatus consulto fuerit, si ei videretur integram rem ad senatum reiiceret

priusquam clauderent Capuam operibus, potestatem Campanis facerent, ut qui eorum vellent exirent a Capua suasque res secum ferrent

in circumsedentes Capuam se vertit praemissisque nuntiis Capuam

hic iratus Praenestinis quod cum eo privatus sacrificii causa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice neque privatim factum a Praenestinis esset

Philopoemen Argos conventum edixit. quo cum appareret omnes ferme conventuros, consul quoque, quamquam Aegiensium favebat causae, Argos venit

inter hunc tumultum Q. Fulvium proconsulem profectum cum exercitu Capua affertur: cui ne minueretur imperium si in urbem venisset, decernit senatus ut Q. Fulvio par cum consulibus imperium esset (apparet enim in his duobus quoque quae postremo loco posuimus exemplis etsi paulum sua conformatione a superioribus discedunt repetito nomine nihil opus fuisse).

Haec igitur exempla, pauca de maiore collectorum copia, quamquam quaedam inter ipsa differentiae, quas nunc non persequimur, agnoscuntur, tamen universa id probare putamus quod volumus, repetita in eadem comprehensione nomina ibi ubi aut pronominis usus in promptu erat aut ex Latini sermonis ingenio ne pronomen quidem desiderabatur aut paulo aliter conformata oratione facile evitari repetitio poterat a Livii consuetudine non abhorrere. In qua re si quid recti observavimus, consequens erit, ut eidem condonemus etiam talia

pontificibus, quia non recte factae Latinae essent, instauratis Latinis placuit Lanuinos, quorum opera instauratio esset, hostias praebere XLI, 16, 2;

ut A. Atilius consul comitia consulibus rogandis ita ediceret, uti mense Ianuario comitia [haberi] possent XLIII, 11, 3,

ubi *haberi* Grynaeus addidit, id quod videmus Mommseno probari qui dum grandia molitur ne haec minuta quidem contemnere solet; denique hoc unde profecti sumus

qua in propinquo Delphi, sacrificandi causa Delphos escendi,

quibus omnibus idem orationis vitium quod putabat variis modis demere Madvigius non dubitavit. Nos vel illud alterum huic cognatum genus bis positi nominis ubi semel abesse velis, velut XXII, 39, 6 *priusquam peteret consulatum, deinde in petendo consulatu, nunc quoque consul*; aut XLII, 17, 7 *aut satis efficacia ad rem peragendam aut tuta ad rem celandam* (nihil enim movemur iis quae XXXIII, 28, 12 aut XXXVIII, 1, 6 leguntur), clementius iudicandum censemus, ne dum abundantiam recidimus non tam menda librariorum auferre quam ipsius corrigere stilum scriptoris videamur, cuius quamvis magna fuerit et egregia eloquentia, tamen eadem parum a delictis cavit sed delictis quibus ignovisse velimus.

Sed omissis in praesentia his observationibus orationis Livianae aliquando repetendis ad alia properamus et illam partem emendationis Livianae paucis perstringemus quae non coercenda litterarum mutatarum licentia continetur sed id agit ut defectus orationis librarii oscitantia ortos quo nullum genus depravationis frequentius hos libros occupavit indaget atque resarciat. Cuius modi peccata multa post Grynaeum Madvigii acumen et detexit praeclare et feliciter reparavit, sed tamen idem nonnulla maluit correctis litteris ad sanum sensum revocare quam supplementa mutilae orationis quaerere. Eius rei unum esto exemplum olim a nobis breviter significatum quod non sine causa nec fortasse inutiliter retulisse videbimur. Etenim cum Perseus occasione reconciliandae cum Achaeis gratiae captata litteras ad eos misisset eaeque in Achaeorum conventu rumore secundo recitatae essent, Callicrates callido Macedonis consilio obviam iturus inter cetera hoc usus est argumento ut diceret XLI, 23, 7 *Nam qui regibus Macedonum Macedonibusque ipsis finibus interdixissemus* manereque id decretum scilicet *ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur, ii contionantem quodam modo absentem audimus regem.* In quibus illa *manereque id decretum scilicet* intelligi non posse apparet, idque multi viderunt, postremo Madvigius qui quod scribi iussit *cavetes per id decretum scilicet* posuit quod sensum oratoris scriptorisque sermonem valde deceret sed mutationis audacia usus nec probabili nec necessaria. Enimvero haec non depravata sunt sed manca possuntque satis apte ad sententiam et ad declarandam hiatus originem in hunc fere modum suppleri *qui regibus Macedonum Macedonibusque ipsis finibus interdixissemus manereque id decretum* [sciremus quo caveramus] *scilicet, ne legatos* cet. Probavit coniecturam ex parte quidem Weissenbornius, qui omissa sua pristina opinione, ante *scilicet* desiderari verbum *sciremus* vel *non ignoraremus* nobis assentitur, sed idem cum praeterea nihil deesse ratus a *manendi* verbo suspensam esse sententiam *scilicet ne legatos admitteremus* statuat, explicandi rationem sequitur sane quam improbabilem: neque enim manebat manereve dicendum erat decretum ne legati admitterentur sed manebat eodem quo factum erat consilio, ne quid inter Macedonas et Achaeos commercii esset. Quare ne a *decreti* quidem nomine illa pendere sententia potest quippe qua non argumentum decreti satis ante significatum (*qui Macedonibus finibus interdixissemus*) sed vis ac sententia decreti ad hanc causam proprie accommodata indicetur, addita in eam vim *scilicet* particula,

cuius alioqui ratio nulla est. Etenim sic ratiocinatur Callicrates: 'cum epistolam regis in conventu nostro recitari passi simus, in vetus illud Philippi aetate factum (c. 24, 11) nec umquam postea abrogatum decretum peccavimus, quo cum Macedonibus finibus interdixissemus, nimirum illud quoque prohibitum erat, ne nuntios aut legatos regios admitteremus: nos autem non nuntios sed paene regem ipsum (per litteras) orantem in contione nostra audimus.' Quare cum nec *manere* verbum nec *decretum* regere illam sententiam possit, ea quo vinculo superioribus connexa fuerit, hiatu ablatum esse credemus: nec profecto maiore periculo in causa erroris manifesta unum *sciremus* verbum ante *scilicet* quam cum eo plura praetermissa esse suspicabimur. Perstamus igitur in ea sententia qua statuimus relativum intercidisse enuntiatum, cuius pro rei natura cum varia esse forma potuerit, *manereque id decretum sciremus quo cautum erat*, vel *quo decreveramus*, vel *quo caveramus scilicet ne legatos admitteremus*, in re incerta ab exemplo proposito cur recedatur causa nulla est. Accedit autem res gravissima: quod enim nunc ipsa argumentationis vi requiri enuntiatum relativum videmus, ea dicendi forma veteres saepe etiam praeter necessitatem uti solebant, ut pendentium a nominibus enuntiatorum duritiem quae videbatur evitarent. Itaque Livius ipse scribit XLIII, 16, 2 *in ea re cum equestrem ordinem offendissent, flammam invidiae adiecere edicto, quo edixerunt, ne quis* (conf. XXXV 24, 3); et XXXIX 48, 6 *immemor sim propositi, quo statui non ultra attingere externa*, et alibi. Quae res etsi nota est et pervulgata, quam olim Naegelsbachius in libro de stilo Latino p. 526 apte explicuit, nuper vir Latini sermonis peritissimus, C. F. W. Muellerus in Fleckeiseni annalibus a. 1866 p. 488 collectis multis multorum scriptorum exemplis, inter quae Livianis quoque paucis, persecutus est, tamen nonnumquam viri docti haerentes in eius modi additamentis sustulerunt quae consulto a scriptoribus interposita esse appareret. Veluti quis Bakio aut eum sequenti Baitero adstipuletur in Ciceronis disp. Tusc. I, 22, 52 *hanc habet vim praeceptum Apollinis quo monet ut se quisque noscat* verba *quo monet* inducenti aut Cobetum laudet in eiusdem epistolis IV, 4, 1 *accipio excusationem tuam qua usus es cur saepius ad me litteras uno exemplo dedisses . . . illam partem excusationis qua te scribis orationis paupertate iisdem verbis epistolas saepius mittere nec nosco nec probo* illa *qua usus es* delentem, haec quae illis respondent *qua te scribis* relinquentem? Quo minus illo loco de relativa quam addidimus sententia dubitandum est*).

*) In ephemeride gymnasiis Austriacis dicata a. MDCCCLXI p. 255 haec coniectura proposita erat XLII, 26, 9 *senatum iis non prius dari quam novi consules magistratum inissent* (codex *iis nonvi consules* mediis omissis): eam recepit Madvigius, recepit Hertzius sed ut *dari prius* praeferret, recepit denique ut suam et Hertzii signans Weissenbornius sed ita ut *ante* poneret pro *prius*. Quaerere iuvat praestetne aut ille ordo aut haec vox ita ut summa rei probata a forma primo proposita iure discedi videatur. Scribit Livius III, 52, 2 *non prius quam deseri urbem videant curam in animos patrum descensuram*; XXX, 40, 6 *nihil ante placebat agi quam* sed ibidem 8 *negare prius quicquam agi passurum quam*; XXXI, 3, 1 *ne quam prius rem quam de Philippo ageret*; XXXV, 5, 2 *ne certaminis studio prius procurrerent quam*; et alibi saepius: quis enim in re non dubia cumulabit exempla? — In eadem ephemeride p. 9 cum in codice esset XLIV, 30, 5 *dempto fratre metu* pro vulgato *fratris* propositum erat *dempto a fratre metu*: eam sprevit coniecturam cum Weissenbornio Madvigius ratus *fratre* ortum esse ex *fratris* inter *dempto* et *metu*; non facturus, opinamur, si meminisset XXXIII, 20, 10 legi *dempto metu a Philippo*. — Ibidem p. 259, cum XLII, 64, 7 haec vulgarentur *ibi cum securi et propter castrorum longinquitatem et viae inopis aquarum difficultatem*, in codice autem esset *propter cum longintate*, corrigendum esse scriptum erat deleta particula per errorem repetita *ibi cum securi et propter* [*cum*] *longinquitatem*; eam scripturam Weissenbornius identidem Grynaeo attribuit quae nec in editione a. MDXXXI nec MDXXXV nec in ulla omnino ante Hertzianam a. MDCCCLXIII apparet.

Defectu, non alio vitio, laborare opinamur verba quae XLIV, 36, 1 post magnum hiatum in codice sic scribuntur: [*Tempus*] *anni post circumactum solstitium erat; hora diei iam ad meridiem vergebat; iter multo pulvere et incalescente sole factum erat. Lassitudo et sitis iam sentiebatur* et meridie aestate magis adcesserunt tum mox adparebat. *Statuit sic adfectos recenti adque integro hosti non obicere.* Quae cum Grynaeus ita dedisset *et meridie instante magis accessurum utrumque apparebat*, posteriores critici illius fere vestigiis insistentes aut *meridiem aestum magis adcensurum mox adparebat* (Hertzius), aut *meridiei aestu magis accessurum utrumque mox adparebat* (Weissenbornius), aut *meridie aestum magis adcensurum utrumque adparebat* (Madvigius) scripserunt, quorum nihil aut mutationis genere aut ipsa sententia probatur, et adversatur maxime *mox* particula, quoniam meridie aestum ardentiorem fore non mox sed iam apparebat: nec hoc aut Madvigium praeteriit aut Weissenbornium, sed quod ille cum Grynaeo abiecit particulam, hic eam cum *accessurum* iungendam, quod fieri non potest, aut ante id verbum transponendam suspicatur, ostendunt uterque, parum certe fidei esse illi conformationi sententiae, quae respuat vocem nulli ipsam dubitationi obnoxiam quaeque eidem verbo iuncta legitur vel XLV, 32, 4 (*id prima specie saevom, mox apparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum*). Itaque relicta illa omni ratione cum verba quae codex exhibet reputamus, reliqua recte scripta, depravatam unam *aestate* vocem ducimus; cuius loco cum Grynaeus *instante* posuit, verum quidem non assecutus est — parum enim hoc est post illa *hora diei iam ad meridiem vergebat* — sed deflexit tamen non ita longe a vero, si quidem probabiliter non *instante* sed *meridie stante* scriptum fuisse statuimus. Suggessit nobis eam coniecturam Platonis memoria, qui in Phaedro scribit 242 a σχεδὸν ἤδη μεσημβρία ἵσταται, ἡ δὴ καλουμένη σταθερά, ubi qui haec extrema verba inducunt nec Platonis amorem originationis verborum nec δή particulae vim recte taxarunt. Sed *stante* qui in *aestate* abierit, nunc quidem post *meridie* facile explicatur, conferri autem potest quod XLI, 27, 5 *etaescenam* h. e. *et scenam* scribitur, et similia alibi. Hac igitur voce reposita, cetera, defectu scilicet indicato, ita scribenda et

distinguenda sunt: *Lassitudo et sitis iam sentiebatur, et meridie* stante *magis. Adcesserunt tum ... mox adparebat. Statuit sic adfectos recenti hosti non obicere.* Duas enim has esse putamus duarum sententiarum particulas, initium alterius, alterius exitum; quae media fuerint, damno irreparabili surrepta: nam etsi facile hariolari plura possis, certi affirmare nihil licet in ea narratione, cuius ipsum caput truncatum est. Sed et agnoscere lacunas est aliquid, et est pluribus locis unum, quod in hac condicione memoriae contingere possumus.

Certius nisi fallimur et cognoscitur lacuna et suppletur in oratione Serviliana pluribus lacunis deformata, quamquam ibi quoque Madvigius corrigere maluit depravata quam mancae orationi addendo opitulari. Quam enim XLV, 37, 1 M. Servilius graviter increpans milites L. Paulo meritissimum triumphum denegaturos posuit sententiam '*Quantus imperator L. Aemilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla aestimari posset, vel hoc satis erat, quod, cum tam seditiosos et leves milites, tam mobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem severitas imperii quam nunc oderunt, tum eos continuit. Itaque antiqua disciplina* habita neque fecerunt,' in ea cum haec extrema corrupta esse appareret, Grynaeo qui *habiti*, Rubenio qui *tunc quieverunt* coniecerant Madvigius adsentiens *antiqua disciplina habiti quieverunt* in textu posuit sponsoresque habuit coniecturae tam Hertzium quam Weissenbornium. Et *habiti* quidem certum est et necessarium (cf. 35, 6 et XXXIX, 1, 4), *quieverunt* autem etsi huic sententiae peraptum verbum est, usu quoque fulcitur Liviano, quem I. Fr. Gronovius et post eum Drakenborchius exemplorum delectu illustrarunt, nec a mutationis audacia quae videatur alicui dubitationem afferre possit ei quidem qui quoties *quieverunt, nequiverunt*, similes verborum formae, ob speciem quadratae scripturae continuae praesertim in his libris et in aliis fucum fecerint librario meminerit, tamen quo minus comprobemus coniecturam prohibemur memoria rei notissimae sed quae nunc forte criticorum aciem subterfugit. Quis enim ignorat nihil esse aut Livio aut aliis scriptoribus consuetum magis et familiare quam dicendi et faciendi verborum copulationem ibi ubi aut omnia aut nihil eorum quae fieri possint vel debeant facta esse significatur, velut Catullus *quid feci ego*, inquit, *quidve sum locutus, cur me tot male perderes poetis*, aut idem alibi *quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.* Sed Liviana ponemus exempla non quaesita cum cura sed quae sponte se obtulerunt.

quod ob factum dictumve Thessalorum bello lacesseret eos
quo suo dicto factove socii atque amici venirent ad se oppugnandos
si quis contra ignominiam prove honore eius dixisset fecissetve
quibus nihil neque dicere pensi sit neque facere
qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur

nihilne factum neque dictum est in civitate vestra, Rhodii, quod nolletis
purgantibus civitatem omnis facti dictique hostilis adversus Romanos
quae singuli universique eo bello hostiliter dixerant fecerantque
purganti se nihil hostile dixisse aut fecisse
quicumque aliquid seditiose dixerat aut fecerat umquam.

Quid igitur? Dubitamusne, fere constantis eius paris membrorum cum alterum habeatur in codice (*neque fecerunt*), alterum iniuria librarii esse interceptum, idemque nunc vitium accidisse quo XXVI, 15, 4 in hac sententia *quis* [*neque quid dicerent*] *neque quid facerent quicquam umquam pensi fuisset* partem priorem ob bis positam scilicet *neque* particulam periisse omnes consentiunt? Reddimus ergo Servilio hanc orationis formam illa non minus gravem aut minus oratore dignam: *Itaque antiqua disciplina habiti* [neque dixerunt seditiose quicquam] *neque fecerunt.*

Specimina proposuimus emendationis Livianae, Commilitones carissimi: quae res esse perpusilla multis videbitur nec solum iis qui ab his studiis philologicis remotiores sunt: neque nos eam magnam habemus, sed tamen iidem ita sentimus, artem posse etiam in hoc tenui genere disserendi et probari recte et addisci, id autem ut ita fiat, interesse etiam amplioris ac difficilioris argumenti quaestionum et disciplinarum, quae quoniam alia arte uti non possint, quanto graviores sint, tanto magis cavendum esse, ne via ac ratione non recte inita cum maiore et rei et nostro detrimento vagemur et a vero aberremus.

Scr. Berolini m. Aprili MDCCCLXXVI.

87LE V18